









1668.

1. Cramerus, Johannes: De constitutione principis.
2. Frenzel, Simon Fredericus: De lapide fulminari.
3. Herguelt, Jakob Ernst: De scribis veterum Graecorum, Romanorum atq. Germanorum.
4. Hering, Joh. Ernst: De Tatione.
5. Kirchner, Georg Karpur: Epistolas veterum
... publicae ... $\delta\epsilon\sigma\tau\alpha\sigma\epsilon\sigma\epsilon$... exponit.
6. Lederer, Michael Fredericus: De Jure Stipulae.
- 7.^a Lederer, Michael Fredericus: Dissertationum
Juridicarum ad Digesta, Celeberrimi ... Schue-
belii primam...
- 7.^b Lederer, Michael Fredericus: Collegii Pandectarum
Publici disputatio II: De jurisdictione, in jus
vocando, satisfactionibus etc. etc.
- 7.^c Lederer, Michael Fredericus: Collegii Pandectarum
Publici disputatio III: de postulando, his, qui

notantur in familia, procuratoribus
et defensoribus. etc. etc.

7^d Lederer, Michael Fridericus: Collegii Digesto-
rum Publici, Disputatio Schwebelii IV

7^e Lederer, Michael Fridericus: Collegii Digestorum
Publici, Disputatio Schwebelii --- V

7^f Lederer, Michael Fridericus: In Collegio Pandec-
tarum Publico Frochimi Schwebelii --- dispu-
tationem VI. de servitutibus realibus et person-
alibus --- publico. --- examini exponit.

7^g Lederer, Michael Fridericus: Disputationem
juridicam Schwebelii --- VII. si quadrup-
pemp: pec. dic. ad legem Aquiliam publice
defendet.

7^h Lederer, Michael Fridericus: Collegii Pandec-
tarum Publici Frochimi Schwebelii disputationem VIII:
de rebus creditis, jure jurando, sine voluntate,

sine necessariis, sine judiciali, in litem
jurando etc.

7ⁱ Lederer, Michael Fredericus: Collegii Pandectarum Publici Frachini Schurbelii disputatio IX: De exercitoria actione, lege Rhodica de jactu, institutoria, testatoria, de peculio, in rem verso etc.

7ⁱⁱ Lederer, Michael Fredericus: In Collegio Pandectarum publico Frachini Schurbelii . . . disputationem X ad Tit. de Scto Vellejano, compensationibus, deposito, mandato et pro socio [socio!] publico . . . examinari exponit. . .

7ⁱⁱⁱ Lederer, Michael Fredericus: Collegii Pandectarum publici Frachini Schurbelii disputationem XI. de contrahenda emptione, et venditione, de in rem additione, lege commissoria,

locatione conductione, de rerum permuta-
tione, et de praescriptis verbis... - publico
... examini submittit...

7^m Lederer, Michael Fridericus: Collegii
Digestorum publici disputatio Frachini
Schnobellii... XII. De pignoribus et hypo-
thecis.

7ⁿ Lederer, Michael Fridericus: Collegii Diges-
torum publici... Frachini Schnobellii...
disputationem XIII in lib. XXII. Tit. 2. 3. 4.
5. 6. De usuris et fructibus et causa et mora,
nautico foenore, probationibus et praesump-
tionibus, fide instrumentorum, testibus, juris
et facti ignorantia... examini sistit.

7^o Lederer, Michael Fridericus: Collegii Digestorum
Publici Disputationem Schnobellianam XV.

ad lib. XXVI. et XXVII. Digest. . . . Defendet . . .

7¹ Lederer, Michael Fredericus: Collegii Pandectarum
Publici Frachini Schnobelii disputatio XVII. De
legatis et fideicommissis, conditionibus et demon-
strationibus, lege Falcidia etc.

7² Lederer, Michael Fredericus: Collegii Pandectarum
Publici Frachini Schnobelii . . . disputatio XIX. De Ultio
Trellianus, suis et legitimis heredibus, possessio-
nibus et collatione bonorum.

7³ Lederer, Michael Fredericus: Collegii Pandecta-
rum Publici disputatio XX. De acquirendo rerum
dominio, adquirenda vel amittenda possessione
etc etc.

7⁴ Lederer, Michael Fredericus: Celebratissimi Schnobelii
disputationem XXII. ad lib. XLIV. et XLV. Dig publi-
cae virtutis Disquisitioni . . .

7⁵ Lederer, Michael Fredericus: Collegii Pandectarum
Publici Frachini Schnobelii disputationem XXIV.

De delictis publicis et privatis. . . placido . . .
enamini submittit
8. Leiser, Wilhelmus: Positionum ad jus feuda-
dale duodecim I.

9. ¹⁰ Leiser, Wilhelmus: De juramento fidelitatis
subdititio. 2 exempl.

11. Leiser, Wilhelmus: De jure ascendendi tempore pestis.

12. ^a Martini, Verus Theodor: De commissariis

12. ^b Martini, Verus Theodor: De quaestoribus et testibus

13. Muhlmann, Franciscus: De d. v. t. d. o. y. i. d. i. s.

Ἰαίνουσρῶς [Ἰαίνουσρῶς?] sic dictis.

14. Nerger, Joachimus: Collegii Juridici Decanus:
... invitatus ad audiendum themam in Audi-
torio Jurisconsultorum: licere ac acquiescere,
ut princeps quandoque, jure bellico, sacra loca
devastet.

15. Nerger, Joachimus: De obsessione vial.

16. Nerger, Joachimus: De jure, periculum
vitalis imminens, adversarii occisione propul-
sandi.

12. ^c Martini, Wilhelmus Theodor: De iudicio et
processu Criminali ordinis et personis, quae accusant
et accusari possunt, vel non . . .

- a, b
17. Nerger, Joachim : De juramentis in liberos affectionis et veritatis.
 18. Röhrenseus, Christian : De jure aedificandi majestatico.
 19. Röser, Jacob : De iustitia Strategematis [Strategematis? In comburendis navibus Batonicis a Britannis ante biennium.
 20. Röser, Jacob : De nuptiis.
 21. Scherffleisch, Konrad Samuel : De induciis. 2 Exempl.
 22. Seyppelius, Joh. Jacob : De ritu flagellandi apud Romanos.
 23. Strauß, Godofredus : Thema juridicum ex l. 31. ff. de leg. et § fin. F. quibus modis Testam. inferri : principem legibus esse solutum.
 24. Strauß, Godofredus : De privatorum jure circa Thesaurus.
 25. Strauß, Godofredus : De notariis eorumq. instrumentis.
 26. Strauß, Godofredus : De sponsionibus.

27. Strauss, Godofredus: Succinctum discussionem
 thematis: utrum omni obligatione solvat
 filium familias senatusconsultum Macedonicum?
 publicae exponit currae.
28. Strauss, Godofredus: Jus principis circa fodinas
 metallicas.
29. Strauss, Godofredus: De obligatione substitutorum
 erga principem
30. Strauss, Godofredus: De jure consularum respon-
 sis eorum auctoritate.
31. Strauss, Godofredus: De contributionibus. } Exempt.
 31a. Strauss, Godofredus: Longitudo imperatoris }
 32. Wundler, Michael: De dominatu } habita aut ne filius pro
 patre
33. Zentgraf, Joh. Joachin: De interregno imperii
 Germanici
34. Zentgraf, Joh. Joachin: De praerogativa primoge-
 niti quoad successionem.
35. Ziegler, Karpar: De jure monetae.
36. Ziegler, Karpar: De secundis nuptiis.

G. H. Num. 31.

1/234.

Q. F. F. I. E. D.
DISPUTATIO POLITICA

De

CONSTITUTIONE
PRINCIPIS,

Quam,

Consensu amplissimæ Facultatis Philosophicæ
In Almâ Leucoreâ

PRÆSES

Clarissimus atq; Præeximius

DN. M. JOHANNES CRAMERUS

Et


RESPONDENS

OTTO FRIDERICUS CUNO
Magdeburgenses,

Publicè discutiendam proponent

In Auditorio Majori

ad d. 12. Februarii horis antemeridianis.



WITTENBERGÆ,

In Officinâ Finceliana excudebat MICHAEL MEYER

Anno cl. l. c. LXVIII.



P. 27.



INCLYTÆ CIVITATIS MAGDEBURGENSIS
P. T. FASCES TENENTI,
VIRO
GÉNEROSO, MAXIMÉ QVE STRENUO,
DOMINO
OTTONI à GVERICKEN.

NEC NON
CÆTERIS,
NOBILISSIMIS,
CONSULTISSIMIS, AMPLISSIMIS, SPECTA-
TISSIMIS, DOCTISSIMISq;
DOMINIS

CONSULIBUS,

CONSILIARIO,

CAMERARIIS,

SENATORIBUS,

ATQVE

SECRETARIO,

DOMINIS MOECENATIBUS, PARENTI,
COGNATIS, STUDIO RUM SUORUM PROMO-
TORIBUS, ÆTATEM DEVENERANDIS,

Hasce Primitias Academicas,

Dat, Dicit, Consecrat

Otto Fridericus Cuno,
Magdeburgensis.



IN NOMINE JESU!

THESIS. I.

Nostram de Constitutione Principis materiam ventilaturi operæ pretium omninò duximus, vocum æquivocationem, quam errorum genetricem non sine veritate sæpè experimur, prius tollere, quam ad specialiora quæq; animum nostrum applicemus. Utiq; non omnibus eadem vox constitutionis est, neq; quid vocabulum Principis hîc loci præ se ferat, cuius in aprico situm; cum vox Constitutionis & Jctis, & Medicis, philosophisq; congruens atq; usitata, diverso quamvis respectu, esse consueverit. Non ergò vocem hîc Constitutionis accipimus in sensu Juridico, quatenus refertur inter species Juris scripti, ut ejusdem pretii sit cum statuto Principis; Rescripto Principali, seu Imperiali Sanctione; hæ enim appellationes omnes de Principis Constitutione in jure Justinianeo *συννομίως* prædicantur. Neq; ad nostrum quid facit propositum acceptio Vocis physica, quâ sumitur pro dispositione seu temperamento corporis, utrum benè vel malè illud ipsum sit dispositum, ut respectu considerationis istius, constitutio hominis vel bona, vel mala dignoscatur. Verum accipitur nobis in sensu Civili seu philosophico, quatenus importat naturam essentiam seu causam formalem ipsius Majestatis, quâ gaudet Princeps summus;

mus; nam sub Principis voce Majestatem ipsam, tanquam concretum pro abstracto inducimus, ut proinde proprium & genuinum disputationis nostrae Objectum sit, de Principe, Majestatem plenè possidente, unde summam potestatem habeat.

II.

Verumenimverò, ne in apprehendendis eorum sententiis, quorum animus interdum in re minus probabili subtilior magis atq; prolixior, quam oportet, evagatur, iterum atq; iterum hallucinemur, est, quod Constitutionem Principis, à collatione Majestatis distingvamus. Nam Constitutio nullum significat modum, quò Majestas acquiratur Principi, nec ullum admittit medium, quod constitutionem in mediatam vel immediatam dispescere possit. Qui enim absolutè, simpliciter & per se majestatem dat Principi, Principem quoq; absolutè, simpliciter & per se constituit, adeoq; causa fit statim majestatis immediata. Ast, qui confert majestatem Principi, principem propterea absolutè, simpliciter & per se non constituit, collatio enim isthæ includit modum acquirendi majestatem, quare ambiget nemo, DEUM mediante vel populi suffragio, vel successione, vel occupatione &c: majestatem conferre alteri posse. Quinimò, si constitutio Principis & collatio majestatis in suo rigore promiscuè usurpentur, magna omninò foret confusio actuum Dei priorum, cum actibus Dei communibus. Etenim jura Majestatis alteri quidem conferri possunt, partim cumulativè, partim abdicativè, quomodo olim populus Romanus omnem suam potestatem principi & in principem contulit; attamen verò princeps ideò non constituitur plenè, ut gaudeat majestate seu potestate summâ, hæc enim à solo proficiscitur DEO, principi q; divinitus

divinitus conceditur, qui actus propterea DEI proprius est, & cum priori non confundendus. Quam ob rem rectius huc usq; nos constitutionem principis soli attribuimus DEO, longè distinctam à collatione Majestatis, quippè quod regulariter hæc duo nullam inter se convenientiam habeant.

III.

Ordine nunc progredimur ad definitionem ipsam, quam qualitercunq; conceptam, in hunc exprimimus modum: *Constitutio Principis est actio divina, quæ Principi immediatè à DEO conceditur summa potestas in Civitatem ubiq;.* Loco generis in hæc definitione ponitur *actio.* Vocabulum actionis latè sumptum hic loci non requirit Subjectum aliquod in hæsionis, sicut *actio accidentalis*, hæc namq; in DEUM cadere planè nequit; verum supponimus hic *actionem substantialem transeuntem*, quæ non indiget aliquo Subjecto. Dicitur autem actio transeuntes, non eo sensu, ac si ex uno Subjecto transeat in aliud, verum quod *effectivè* egrediatur ab agente, sitq; in aliquo termino, ad quem transire dicatur. Suarez. Disp. 10. Sect. 5. n. 25. Quia autem terminus ille extra agentem causam est, actio quoq; illa non in agente, sed in termino erit, cujus intuitu quoq; transeuntes vocatur, Sicuti ex Aristot. lib. 9. Metaph. liquet. Jam autem Constitutio Principis non est in DEO, quippe qui nunquam constitutus, sed independenter atq; eminenter omnia possidet, verum à DEO effectivè egreditur. Certum enim est, ubi datur verus influxus in effectum externum, seu egressio effectus à suâ causâ, ibi dari quoq; veram actionem transeuntem necesse est. Egressio enim sine actione nec est, nec intelligi potest.

IV.

Cæterum, ut per Circumstantias certas, quæ causarum instar differentiam absolvant specificam, definitionem nostram ulterius declarem, dicendum omnino, quod unus & solus DEUS Principem immediatè constituat. Dico immediatè, verba enim posteriora causam majestatis absolutam & immediatam involvunt. Quapropter audiendi non sunt ii, qui à mortalibus majestatem profluere quoad antenus contendunt, sive id fiat electione, sive liberâ concessione, sive violentâ occupatione, sive alio aliquo modò, quorum exempla recenset fusim Horn. lib. 2. Polit. c. 1. quin potius persuasio ista verbo divino penitus contraria, superioribus cum primis fenestram DEUM nec metuendi, multò minus salutem subditorum promovendi, aperiret. Id quidem largimur facilè, quod, cum impossibile sit, ut Princeps omnia sua negotia expediat ipse, potestatis suæ portiunculam communicare aliis possit, tum quia id reipublicæ utilius, tum quia principi consultius est; non tamen id fit absolute seu abdicativè, sed hæc cum lege, ut vel per appellationem, vel per supplicationem, vel alio modo potestas concessa ad eundem refluat. Quemadmodum enim à mari flumina oriuntur, & in idem relabuntur; Ita quoque à principe oriuntur imperia, potestates, commissiones, &c. ita tamen ut nihil sit in ordinariâ Magistratum potestate, quod non fluat ab absoluta, & ad eandem refluat. Verum isthæc modò recensita tendunt eò, quod Princeps potestate summâ gaudens sibi similem constituere non possit, cum è contrario DEI fungeretur officio, cujus solius est, Principem constituere. Quam ob rem manet vera & immediata majestatis causa DEUS ter Opt. Max. quem Princeps solummodò, & præter eum nullum
timere

timere debet; à DEO enim habet, quicquid habet,
quippè qui concessit ipsi potestatem summam
in terris pro lubitu & arbitrio cuncta agendi, nisi quæ sint
contra jus merè divinum, & pacta fundamentalia, quibus
obstrictus est ratione conscientiae suæ.

V.

Ante diluvium quidem, non ita suam potestatem
concessit seu communicavit DEUS, sed gubernabat ho-
mines solus; arguebat sanè humanum genus in deterius
ruens per homines sanctos increpabat, obsecrabat oportu-
nè, in oportuè uti ex Beat. Luth in v. 3. c. 6. Genes. cū
Vasq. in præf. illustr. qv. n. 109. refert Arumæus de Jur. publ.
disc. 30. cap. 5. Aliam enim externam potestatem, quæ
præfractarii cogi poterant, præter patriam potestatem,
nondum constituerat DEUS. Hinc crescente hominum
malitiâ, puta, libidine & vago concubitu, impietate, atq;
tyrannide, Deus externa illa peccata externâ poenâ, dilu-
vio sc. universali severissimè vindicavit. Verum post dilu-
vium poenam illam quidem cessare fecit in posterum, ne
tamen delicta illa externa essent impunita inter ipsos ho-
mines, constituit DEUS potestatem, quæ tranquillam &
quietam vitam degerent, ut ita per legitimam potesta-
tem Princeps effusum humanum sanguinem, & inobe-
dientiam in primam & secundam Decalogi tabulam
commisam, vindicaret. Quemadmodum id perspicuè
satis persecutus est Arum. cit. loc. p. 297.

VI.

Hinc concludimus manifestè, Imperatores, Reges,
uno verbò Principes summos, majestatem, seu τὸ εἶναι
majestaticum suum non habere ex se & quæ tales sunt, ta-
lis enim majestas soli competit DEO per modum inde-
pendentiæ; verum ceteri Principes omnes potestatem
suam

suam per modum exercent dependentiæ, ita ut nullus eorum, qualis qualis etiam sit, ex se & quâ talis, nisi Deum velit exosum habere, de potestate summâ sibi quicquam gratulari possit. Non negamus oppidò, Principes & Reges ratione regiminis & administrationis ab Imperatore directè non dependere, qualem enim potestatem exercet Imperator in suo territorio, talem quoq; in suis territoriis cæteri Principes & Reges. Inde tamen minus rectè infertur, Reges non dependent ab Imperatore, E. suam potestatem habent ex se & quâ tales sunt, quin potius eandem à DEO acceperint, qui primum & summum illud Ens, à quo cætera omnia dependent,

VII.

Subjectum, quod constituitur, seu cui majestas conceditur à DEO est Princeps seu Magistratus superiorem præter DEum non agnoscens. Hic loci a. neque quantitas, neque qualitas personæ est respicienda, sed animus regius, i. e. quem non doctrina modo, sed ipsa præcipuè natura omnibus imperatoriis artibus, uno verbo, regendi prudentiâ instruxit. Quis navim mihi dirigat sine ferro, quod affricuit, siderites? sic nemo rempublicam sine mente, quam afflavit illa diva. Vinum solam cogites? frustra. Qualis Poëtarum ille Cyclops, amisso oculo: talis Princeps, cui abest lumen hoc frontis. Lips. Polit. 3. c. 1. Consiliarios cogites? misera Respublica, cujus Princeps surdus & cæcus, nervis alienis mobile lignum. Horat, 2. serm. sat. 7. Certè si DEus secundum suam omnipotentiam, quemadmodum olim, hæc in re esset processurus, posset omninò opilioni æquè seu hortulano, quam viro in summa dignitate constituto, regioque semine nato, æquè parvo quam magno, æquè deformi ac formoso, æquè pio ac impio, majestatem concedere. Nihilominus
DEus

DEus cum secundis causis secundum earum naturam liberè concurrat, ità ut videatur in populi voluntate, suam quasi disposuisse. Dirigitur autem voluntas illa hominum, si accuratè loqui velimus, solò jure divinò, licet rationem naturalem vel civilem non excludat, sed eandem potius adsciscat, hæc enim non satis efficax dicitur ad jus producendum, verum necessum quoque est, potestatem divinitus concedi.

VIII.

Hic Qv. An regendi Prudentia, cæteræque virtutes omnes ad formalem Principis constitutionem pertineant? Diximus in thes. præced. neque quantitatem, neque qualitatem personæ esse respiciendam, sed animum regium seu regendi prudentiam, quam virtutes absolvunt; quod tamen intellectum velimus de principis regimine scil. respectu personæ in concreto & ratione exercitii. Sed si in abstracto & respectu DEI constitutionem principis consideramus, non possumus non negare hanc ipsam quæstionem, (1) quia Majestas, quæ eminent princeps, à solò DEO est, cui soli convenit principem constituere, ut supra monuimus; per me enim, inquit Creator mundi, Reges regnant, & dominatores decernunt justitiam, per me principes gestant principatum & ingenui omnes iudices terræ. proverb. 8. verò 15. & 16. Ipse transfert regna, constituitque Reges & Principes; Dan. 2. v. 21. sive itaque principes virtutibus sint instructi, sive vitiis coinquinati, ad constitutionem ipsam nihil facit. Huc spectat illud, quod D. Hieronym. dicit in Can. audacter 8. qv. 1. Non semper princeps populis per DEI arbitrium datur, sed prout merita nostra de poscunt, si mali sunt actus nostri, dantur nobis principes secundum cor nostrum &c. Principes itaque sive boni sive mali sunt à DEO, omnia

B

mnia

omnia pro suo nutu & nostris meritis moderante. Vid.
Vasq. illustr. quæ st. 21. n. 12. Deinde administratio seu ex-
ercitium potestatis suam, ad quod virtutes regiae o-
mnino requiruntur, maxime ab ipsâ constitui-
one, quæ annexum & inclusum habet regimen, tan-
quam formam ipsius majestatis absque ullâ superadditâ
qualitate. Ideoqve licet princeps absque virtutibus neq;
Republicam, neque subditos suos bene recteque admi-
nistrare & gubernare possit, inde tamen non sequitur:
E. virtutes pertinent ad principis constitutionem; Con-
stitutio n. & administratio totò Cœlo inter se distant. Num
autem mutua detur obligatio inter Principem & subdi-
tos, ita ut præcisè Princeps justè imperare, subditi verò vi-
cissim obedire eidem debeant, altior em videtur mereri
disquisitionem. Affirmat Timpler. l. 2. c. 1. politic: quæ st.
5. Sed verò evictum nobis supra fuit, quod ex pactis de-
mum fundamentalibus Princeps se se obstrictum dicat
subditis suis, quæ obligatio oritur ex actu quodam intrin-
secè bono & à Gentibus insimul approbatò, cujus natu-
ram & validitatem citra justam & fonticam causam ever-
tere atq; immutare, Principis potestatem excederet. Ast
verò obligatio talis regimini superioris in subditos non
potest adscribi, quia potestas illa, ut sæpius dictum, à so-
lò proficiscitur DEO, cui & soli quoq; obligatur princeps
ratione administrationis justæ, ni graviter peccare & æter-
næ damnationis se se participem reddere velit. Interim
tamen contenti esse debent subditi qualicunq; regimi-
ne, prout in superiore id ipsum à DEO constitutum cre-
datur. Quamquam negare non ausim, subesse inter Prin-
cipem & subditum obligationem aliquam subtilem seu
naturalem; attamen verò quia obligatio illa non nisi in
respectu ad DEUM attendi solet, nos firmiter statuimus,
Princi-

pem soli DEO, non etiam subditis suis obligari, nisi coarctatio regiminis per pacta diversum fuisse reperiatur.

IX.

De Tyrannò jure & titulò tali non inutilis moveri potest quæstio: Utrum credatur ille à DEO constitutus, ut summâ gaudeat potestate? Qui negantium defendunt partes, provocant potissimum ad imperii naturam, tale præsupponentis Subjectum, quod decenti animo regie imperandi polleat, i. e. ut personam Subjectam ad quælibet justa sub pœnâ mortis legitimâ possit obligare. Jam verò Tyrannus titulò & jure talis subditos suos non ad justa sub pœnâ mortis legitimâ, verùm sub crudelitate ad injusta & illicita quæq; subeunda obligat & obstringit. Eam itaq; ob causam existimant illi Tyrannum imperium suum & potestatem non à DEO, quippe qui Justitia ipsa est, sed à Diabolo habere. Sed enimverò nos Resp. Impiam hanc esse assertionem & planè odiosam. Positò enim, malè administrandi exercitium Tyranno à DEO non fuisse concessum, Ergò imperium à Diabolo habet, detestanda est consequentia & penitus exterminanda. Administrandi enim malitia accidens est, nec non ex pravis affectibus internis haut rarò suboriri solet. Et licet affectuum pravitas DEO non sit adscribenda, è contrario tamen concludere, imperium seu malam potestatis administrationem à Diabolo dari, piaculum erit. Rectius itaq; statuimus, Tyrannum jure & titulò talem omninò à DEO constitutum esse, quia omnis Magistratus à DEO est. Rom. 13. 1. Veritatem hujus testantur partim exempla è Codice sacrò petita: Sic Nebucadnezar regimen s. majestatem habuit cœlitus. Dan. 2. v. 28. David Saulem, DEO licet suspectum, nihilominus tanquam Domini unctum verus ratus fuit. 2. Sam. 24. v. 7. partim quoq; viri

Sancti & Summi, è quorum numerò sufficet nobis auctoritate suà S. Augustin. lib. 5. c. 21. de Civit. DEI, quando ait: Non tribuamus dandi regni atq; imperii potestatem, nisi DEO vero, qui terrenum regnum seu potestatem summam dat piis & impiis, sicut ei placet, cui nihil injustè placet. Quod attinet exercitium imperii seu majestatis, cujus vim atq; naturam in eò consistere dicunt, quod personam subjectam ad quælibet justa sub pœnâ mortis legitimâ possit obligare, verum quidem est de imperio in abstractò ità considerato, malè tamen applicatur. ab abstractò enim ad concretum N. V. C. Imperium s. summa potestas est à DEO; Ergò qui abutitur imperiò, imperium non habet à DEO, falsum hoc est. Forma enim seu causa majestatis manet perpetua & immutabilis, ut ut modus administrandi per usum vel abusum varietur.

X.

Effectus, qui à causâ Efficiente primâ & immediatâ egreditur, est potestas summa in Civitatem ubique. DEUS enim dum constituit Principem, eidem quoque concedit imperium & dominium in subditos, ut possit dominari omnibus, nisi quæ jus divinum & naturale, absolutè ita considerata, legesq; civiles, tanquam Obiectum Justitiæ, quæ voluntatem principis dirigit, excipiunt. Ubi non in congruè inferitur quæstio illa vulgatissima: An Princeps omnibus omninò Legibus sit solutus? Si de Legibus saltem civilibus, quæ instrumenta sunt subservientia Majestati ad regendam Rempublicam, sermocinari velimus, recta suggerit ratio, affirmativâ indubitato tenere, quia cum earum intuitu sit Princeps, eòq; nemo superior, sequitur, neque ipsum ullis ad pœnam vocari legibus, utpote tutū imperii potestate posse. Unde
Principis

Principis est, non populi, pro salute Reipublicæ legem
ferre & immutare. Quâ mente Senatus Romanus olim
Octavium Augustum omni legum necessitate solutum
dixisse fertur. Sed an idem de divinis & naturalibus le-
gibus asserendum sit, mirum in modum se fatigant Poli-
ticorum affecta. Nos non verebimur, exercitiū tamen
gratiâ, affirmantium subscribere sententiæ, si modò ex
veris antea fundamentis toti huic controversiæ obviam
fuerit itum. Certum aliàs est, & indubitatae veritatis,
quod Jus divinum & naturale in se & suâ naturâ obligent
hominem ad faciendum bonum & fugiendum malum.
Sed verò quandoque ob nimiam affectuum corruptio-
nem, imò ut plurimum ex proæresi fit, ut homines bona
fugiant, mala verò sectentur, hinc essent puniendi, quod
Legum divinarum & naturalium tramites transcende-
rint. Sed deficit vis ἀναγκαστική, quæ proinde superaddi
necessariò debet; à quònam autem? non à DEO, quippe
qui hodiè non amplius immediatè, sicut ante diluvium,
punit; Ergò opus est majestate, quæ qualitatè illam su-
peraddat. Quod si fecerit Majestas, profluit inde suâ spon-
te Distinctio inter jus divinum & naturale, merè & ab-
solutè ita considerata, & quatenus vim ἀναγκαστικὴν à
majestate acceperunt. Priori modò, princeps Legibus di-
vinis & naturalibus solutus dici nequit, ratio, quia hujus
considerationis intuitu, Princeps non ut Princeps, sed ut
homo salvandus æstimatur, qui æquè ac ceteri homines
bona Jure divino & naturali mandata exequi, mala verò
iisdem prohibita fugere debet. sed posteriori modo, quin
iis solutus dici mereatur princeps, in dubium fortè voca-
ri à nemine poterit; dum enim certâ quâdam qualitate
munita sunt jura, jus divinum & naturale, non amplius
merè divinum & merè naturale esse possunt, sed oportet
B 3 aliam

aliam induisse formam, quæ Juris Civilis est, ut itaq; jura ista non amplius considerentur prout sunt extra Rempubli-
cã, sed in republicã. Quam ob rem quoq; in eos, qui commiserunt quicquam contra Jus divinum & naturale, à majestate humanã animadvertere licet; sed ipsa majestas non potest puniri ob defectum fori.

XI.

Quapropter, sicut Princeps omnem suam potestatem non nisi soli DEO acceptam referre potest; ita quoq; cogitet, se DEO omnipotentissimo subjectum, eidemq; omnibus in rebus ad præstandam obedientiam obstrictum esse. Hinc Princeps etiam ex plenitudine potestatis suæ delictis atrocioribus Jure divino & naturali damnatis veniam dare non potest, quia isthòc in casu DEO magis, qui supra Principem, est obtemperandum, nisi fortassè justissima causa sit poenam differendi, mitigandi vel remittendi. v. g. ob populi tumultum præstat dimittere unum, quam in unum animadvertendo omnes ad delinquendum invitare. Sic Moses propter *σκληροκαρδία* seu duritiem cordis populi Judaici toleravit libellos repudii. Quibus modis & Jure Civili permissum est Principi, ad commodum populi rogantis, ex singulari causã à poenã delinquentem liberare. Modestinus in L. 31. ff. de poen. Quinimò potest quandoq; Princeps aliquid permittere in civitate, quod in se inhonestum & perniciosum maxime est, citra imperii tamen & autoritatis periculum, vel alterius majoris imminentis mali metum declinari nequit. Exemplo id suo nos docet Tiberius, qui cogitavit quidem, quomodo sumptuariæ leges in Civitate suã possent abrogari, sed verò ubi vidit, indecorum esse illud at-
tractare, quod citra imperii & autoritatis periculum vix obtineretur, tolerare sumptus & profusas cupidines ma-
luit,

luit, quàm periculosè quicquam contra easdem moliri.
Tacitus lib. 3. Annal. c. 52. Præterea neq; licitum statim
est Principi, pro lubitu supra modum in delinquentes
favere & animadvertere, nisi prius inquisiverit in Legum
rationes, annon rigor unius Legis per alteram possit mi-
tigari. Memorabile aliàs è contrario habemus exem-
plum apud laudatum Tacit. lib. 14. annal. de Pedaneo
Præfecto urbi, à servò occiso; cum enim à Senatu dubi-
taretur, num omnes servi, qui erant 400. in domo Peda-
nii, ultimò supplicio plectendi essent, C. Cassius Sena-
tor Oratione in Senatu habitâ, tandem obtinuit, ut in
omnes animadverteretur. Duritiem verò hóc mitiga-
vit colore: habet aliquid ex iniquò omne magnum exem-
plum, quod utilitate publicâ contra singulos rependitur.

XII.

Tandem de fine hujus negotii ut agamus necesse
est; qui verò vel remotus vel proximus. Remotus est
gloria DEI. Eum namq; in finem constituitur Prin-
ceps, ut in Divini Numinis gloriam & honorem singula
quæq; suscipiantur. Quicquid enim habet Princeps, à
DEO habet, cui non immeritò Laus, honor & gloria in
omnibus debetur. Proximus verò & adæqvatus finis est
Salus & Utilitas publica, quam Princeps maximoperè æ-
stimare, summòq; studiò promovere tenetur. Quid au-
tem, si è contrario Princeps in perniciem & ruinam to-
tius Reipublicæ potestate suâ abutatur, an populus habe-
bit facultatem ei resistere, eundemq; invitum quamvis
seponere? Affirmat Keckermann. lib. 1. Politic. c. 28. li-
mitando tamen ob certas circumstantias, quæ probè sunt
respiciendæ (1) Cui sit resistendum, (2) quis debeat resi-
stere. (3) quando, (4) quomodo, & (5) quousq; : quia
nulla periculosior actio & magis ardua est, in quâ facilius
& gravius

& gravius peccetur, quam in hoc ipso negotio. Sed enim
piaculum fore nos semper existimarem, si princeps,
quodvis etiam modo, seu quacumque demum ex causa à sub-
ditis suis seponeretur. Nam si in manu esset hominum
Principes constituere, etiam abdicandi potestas ipsis non
posset denegari; sed cum verò verius sit, illos à solo con-
stitui DEO, nemo subditorum eos remove vel potest
vel debet, nisi solus & unicus DEUS. Interim verò ab æ-
quitate & naturali ratione non videtur alienum, quod, si
subditi vident, omnes Principis actiones vergere in rui-
nam, perniciem & interitum totius Reipubl. ut, si diuti-
us regnaret, tota Respubl. cum omnibus demum esset
peritura, totus populus istius Reipublicæ unanimi con-
sensu devotè & humaniter ipsi indicare & ostendere non
prohibeatur, ut vel seponat administrationem, aut salu-
tem publicam impofterum melius promovere studeat.
Noli autem dicere, quod vi statim eum deturbare vel de-
pellere s. occidere possint. Exempla, ut quæ facti
sunt, à foro nostro præsentis penitus remo-
vemus. Tantum.

SOLI DEO GLORIA.



ULB Halle
006 681 948


3



V D 17







G. H. num. 31.
1/54.

F. I. E. D.

NO POLITICA

De

TUTIONE

CIPIS,

vam,

e Facultatis Philosophicæ

â Leucoreâ

ÆSES

atq; Præximius

NES CRAMERUS

Et
ONDENS


ERICUS CUNO

urgenses,

ndam proponent

orio Majori

oris antemeridianis.



NBERGÆ,
cudebat MICHAEL MEYER,
Lcc, LXVIII.

KOENIGLICH
UNIVERSITÄT
ZÜRICH

B.I.G.

Farbkarte #13

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

Inches
Centimetres
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8